

II. Spectacula, in quibus repraesentantur res notabiliter turpes, vel in quibus apparent personae diversi sexus habitu notabiliter indecenti, generatim loquendo graviter illicita sunt, quia tam actoribus quam spectatoribus noxia sunt.

Attamen cum illicitum generatim non sit, iusta et proportionata exstante causa, alicui se periculo exponere, praesertim si salutaribus praesidiis quis, uti par est, se communiat; ideo excusari possunt tum milites qui adesse tenentur ad invigilandum, tum servi qui gravem indignationem dominorum paterentur, si adesse renuerent, etc. — Scavini.

247. **Resolves.** — 1^o Non peccat mortaliter, qui praeciso scandalo interest comoediae non graviter turpi, nisi forte experientia sciat, se huiusmodi ludis vehementer ad libidinem cum proximo consensus periculo commoveri, adeo ut spectaculum sit ipsi proxima peccandi occasio. — S. Lig. de VI. praec. n. 472.

2^o Si in comoediis repraesentarentur res notabiliter turpes, aut turpi modo, mortale quidem esset illas spectare ob delectationem consurgentem ex ipsis rebus turpibus; veniale autem ob curiositatem tantum aut ob vanum solatium, secluso tamen periculo consensus in turpem delectationem (S. Lig. ibid.), quod facile aderit in adolescentibus, vel in aliis parum timoratae conscientiae, et nisi adsit scandalum; quod plane adesset, si comoediis turpibus interessent Clerici et Religiosi, uti advertit *Bened. XIV.* — S. Lig. *Hom. apost.* Tract. 9. n. 10.

3^o Merito Holzmann et Lacroix, propter scandalum aliorum damnant de mortali tum eos, qui pecunia aut plausu cooperantur ad comoedias notabiliter turpes; tum eos quoque, qui eas impedire tenentur, et cum commode possint, non impediunt; a potiori autem eos, qui illas repraesentant. — S. Lig. ibid. in op. magno.

PUNCTUM II. — *De cooperatione.*

SECTIO I. — *De cooperatione in genere.*

248. — **DEFINITIO.** Cooperatio in genere est concursus cum alio principaliter agente. — Prout autem Charitati adversari potest, est participatio quaedam ad actionem pravam alterius (1).

DIVISIO. Distinguitur cooperatio:

1^o *Immediata* vel *mediata*, prout cooperans agit cum peccante in ipso actu peccati, vel ponit alias actiones cum peccato alterius connexionem aliquam habentes.

(1) Cooperatio adversari potest charitati, quatenus haec virtus exigit, ut aliorum peccata impediamus, atque adeo ne opera nostra ad peccandum alios coadiuvemus.

2^o *Proxima* vel *remota*, prout actio cooperantis propius vel remotius cum prava alterius actione connectitur.

3^o *Positiva* vel *negativa*, prout cooperans vel ponit aliquam actionem in peccatum alterius influentem, v. gr. eum adiuvando, vel omittit actum debitum, v. gr. si non obstat, cum obstatere deberet.

4^o *Formalis*, quae concurrat ad malam voluntatem alterius, et nequit esse absque peccato; vel *materialis*, quae concurrat tantum ad malam actionem alterius sine intentione cooperandi ad peccatum.

Datur etiam cooperatio *directa* vel *indirecta*, vel *moralis*, ut dictum est, ubi de voluntario in se et in causa: *De Act. hum.* n. 5. et 7.

Cooperatio fit praecipue novem modis, scilicet iubendo, consulendo, consentiendo, laudando, recursum praebendo, participando in actione vel emolumento, silendo, non obstando, non manifestando. Hinc versiculi.

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstando, non manifestans.

Vide dicenda in *Tractatu de Iustitia.*

Principia. — I. Certum est, nunquam licere cooperationem formalem, cum haec moraliter influat in peccatum alterius, et proinde sit illius causa moralis. — S. Lig. n. 63.

II. Cooperatio materialis licita est, dummodo actio sit per se bona vel saltem indifferens, adsitque causa iusta et proportionata ad gravitatem peccati alterius, et ad proximitatem concursus ad peccati executionem. Ratio est, quia cum tu praestas actionem indifferentem sine prava intentione, si alter illa abuti voluerit ad peccatum exsequendum, non teneris nisi ex Charitate illud impedire; et cum Charitas non obliget cum gravi incommodo, ideo ponens tuam cooperationem cum iusta causa, non peccas: neque enim peccatum illius provenit ex tua cooperatione, sed ex malitia ipsius, qui tua actione abutitur. — S. Lig. ibid. — Vid. *de Actibus humanis*, n. 9. (2).

III. Eo maior requiritur ratio ad cooperandum, quo propinquior et maior est cooperatio, — quo probabilior et peior est effectus secuturus, — quo probabilius est, te non cooperante, alterum non peccaturum, — quo magis peccatum iustitiae vel Charitati repugnat.

249. **Resolves.** — 1^o Nunquam peti potest, quod sine peccato concedi nequit (3), ut violatio obligationis alicuius, v. gr. a notario aliquid officio suo oppositum.

(2) Cf. in nota ad n. 192. principia in haec re tradita a S. C. P. F. et ibid. eiusdem quoque applicationes, quae huc quoque faciant.

(3) Intellige, quando malitia se tenet ex parte actus, non autem si mere ex parte agentis, uti patet ex Resol. 3.

2^o Non licet obscena pingere; nec licet furi terga servare, quia est influere in pravam furis voluntatem (4). — S. Lig. n. 371.

3^o Licet petere mutuum ab usurario, Sacramenta ab indigno ministro, iuramentum ab eo qui forte peieraturus est, modo adsit iusta causa. — S. Lig. n. 77. 79. (*).

SECTIO II. — *De cooperatione in particulari.*

Scilicet praecipue 1^o quoad famulos; 2^o quoad operarios; 3^o quoad mercatores; 4^o quoad caupones.

Ex principiis supra positis colligi plerumque potest, quandonam famuli et alii peccatis dominorum, sociorum, aut aliorum cooperari possint, vel non. Plura tamen dubia ad maiorem rerum perspicuitatem solvenda sunt. Hinc

I. *Quoad famulos.*

230. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *An possit famulus, metu mortis aut mutilationis, subiicere humeros hero ad fornicandum ascendenti?*

Resp. Affirm. probabilius, quia non ponit actionem intrinsece malam. — S. Lig. n. 66. 68. Sed tenetur postea domini sui domum deserere, si quid aliud eiusmodi timeat. — Scavini. Idem resolve in similibus.

QUAER. 2^o *An liceat famulo ostium domus meretrici aperire?*

Resp. Communius affirmant, modo adsit alius, qui non aperiendo ipse aperiat. — S. Lig. n. 66. Haec circumstantia enim cooperationem satis remotam facit.

(4) Primum exemplum revoca potius ad generalem doctrinam de scandalo; et dein excipe, si quid eiusmodi pingi necesse sit, v. gr. ad scientiae anatomicae aut obstetriciae praesidium. Alterum exemplum supponit commune cum fure consilium; alioquin enim alteri advigilare et eundem monere sunt actus per se indifferentes, et proinde ad cooperationem materialem revocari possent.

(*) Cum moniales curam gerent nosocomii, in quo et infirmi acatholici recipiuntur, quaesitum est, utrum liceret monialibus, ad illorum petitionem, advocare ministros eorum sectae a quo religionis auxilia et solatia accipiant. Item si haereticus infirmus in domo privata catholici degit, an liceat catholico ministrum haereticum advocare. S. O. C. 15 Mart. 1848.

respondit: *non licere, sed passive se habeant.*

Scilicet non licet provocare alium ad id faciendum quod is sine peccato facere nequit: cooperaris enim peccato eius. At 1^o si non tanquam cultus minister, sed ut amicus solatii ex. gr. causa, vocaretur, nulla foret invitatio ad malum. 2^o Si ministro acatholico simpliciter indicetur, quemdam esse moribundum acatholicum, qui eum cupiat sibi adesse, haec actio nondum est (nisi ex adiunctis magis determinetur) invitatio ad actum illicitum, sed est tantum quaedam cooperatio materialis, quae, ut dictum est (princ. II.), iusta causa existente et proportionata, licet. Causas vero easque graves praesto esse monialibus, quae curam gerant huiusmodi hospitiorum facile liquet.

Plures tamen contendunt, nunquam licere ostium meretrici aperire, et innituntur propositione sequenti 31. ab Innoc. XI. damnata: *Famulus qui, submissis humeris, scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, et multoties ei subservit, deferendo scalam, aperiendo ianuam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.* — Sed haec verba aperiendo ianuam intelligi manifesto debent de aperienda per vim aliena domo, ut ex contextu patet. Praeterea damnabilis est haec propositio, quae cooperationem levissima etiam de causa permittebat, scilicet ne famulus etiam torvis oculis aspiceretur.

In civitatibus, in quibus vitandi maioris mali causa permissum est usurarios vel meretrices degere, licet domum hisce locare, maxime si alii conductores desint, aut illis alias aedes conducere facile sit; nisi tamen meretrices graviter noceant vicinis honestis, vel ob situm domicilii maiorem ansam ad peccandum praebeant. — S. Lig. n. 70.

251. — **QUAER.** 3^o *An possit famulus ratione famulatus sternere equum domini ad peccandum profecturi, vel eum comitari?*

Resp. Non videtur quidem illicitum, si famulus tantum equum sternat, quia in hoc non videtur magis peccato domini cooperari, quam aperiendo ostium meretrici (3). Sed nisi grave damnum immineat, non permittendum ipsi foret comitari herum ad locum, ubi peccatum est patrandum, quia proprius est cooperatio. — S. Lig. n. 64. et in *Retract.* n. 10. (6).

(3) Sternere equum domino perinde habere se ad peccatum eius videtur, ac ipsi domo egressuro calceamenta aut pileum porrigere.

(6) S. Alphonsus id non absolute, sed solum tanquam probabilius affirmat, inquit: *Probabilius non sufficit ad id sola ratio famulatus, etiamsi sine famuli ope herus adiret: saltem requiritur metus gravis.* Ita Sanchez *Dec. lib. 1. cap. 7. n. 22., Viva in Prop. 51., Innoc. XI., n. 5., Salmant. Tract. 21. cap. 8. n. 72.* Caeterum nec Sanchez, nec Salmanticenses habent reipsa doctrinam, quam eorum nomine hic tradit S. Alphonsus; sed supponunt, heri peccatum, famulo non comitante, fuisse vitandum. Ita Sanchez (l. c.): *Deducitur, posse famulos sternere equum, herum comitari et exspe-*

ctare (quando non custodiae causa, ut num. seq. dicemus), quamvis norint, ipsum ad fornicandum abire. Quia ministeria haec ex se sunt indifferencia, nec exhibentur a famulis, ut pravae intentioni domini conveant, sed urgente necessitate obsequendi hero rem indifferentem praecipiente. Sic Angles, Navar., Manuel... At communem obsequii rationem famulos non excusare censeo, quando herus ille peccatum vitaret, famulo non sternente equum aut non comitante. Tunc enim amplior causa desideraretur, qualis esset non posse commode id obsequium domino denegari, et fore molestum ac noxium famulo ob id dominum deserere. — Salmanticenses vero (l. e.): *Licetum est*

Non licet autem famulo herum ad peccandum comitari, si hic animosior ex comitatu redderetur, ut habet S. Lig. n. 64. — Excusandus autem est famulus, quoties non est certus de pravo animo domini sui. — Vogler, etc.

QUAER. 4^o *An liceat famulo dona meretrici deferre?*

Resp. Neg., saltem sine causa valde gravi, quia cum haec munera apta sint ad libidinem fovendam, cooperatio proxima est (7). — *Ita communiter.* Imo hoc intrinsece malum reputat S. Lig. n. 65; quia per se turpem amorem fovet. Sed probabilius contradicit *Viva cum aliis.*

QUAER. 5^o *An liceat famulo litteras amatorias concubinae domini sui deferre?*

Resp. Neg., nisi adsit ratio valde gravis. Imo iuxta S. Lig. n. 68 nunquam licet, etiam posita gravissima causa, quia (ut ait) hoc intrinsece malum est (8): oppositum tamen docet Vogler cum aliis. Caeterum famulus non tenetur inquirere, quid in litteris contineatur.

Porro quae de famulis dicta sunt, fere aliis inferioribus, aut subditis, v. gr., filiis, uxoribus, etc., applicanda sunt.

famulis... dominum ad concubinae domum comitari, quando etiam famulo non comite, herus adiret, nec ex eo animosior reddatur, quia tunc est merus comitatus. At vero si herus famulum comitem adhiberet, ut securius et liberius peccaret... esset omnino illicitum; quia tunc iam influeret proxime in peccatum. Vid. Sanch. et Diana... Nec ratio, ergo, nec auctoritas A. doctrinae suffragatur; nam et Viva, a S. Alphonso allegatus, fallaci tantummodo Sanchezii citationi innititur.

(7) Sporer contra exusat hos famulos (de V Praecepto, cap. 1. n. 99.), quia (inquit) *ex una parte illi ex officio et conditione sua tenentur dominis servire et obsequi; ex altera vero parte cooperatio ad peccatum mere materialis est, et tantum remota.* Neque verum id est, quod A. innuit, oppositam sententiam communiter doceri. Nam S. Alphonso pro ea neminem allegat praeter Concinam nec alius forte allegari potest, et ratio, quam hic affert, ab omnibus reicitur, qui actionem hanc habent tanquam per se indifferentem.

(8) Quod subinde alias, etiam nunc S. Alphonso contigit, ut fallacibus abduceretur allegationibus, quas apud Salmaticenses et Dominicum Viva reperit. Neque enim vel unus e doctoribus, quos Salmaticenses et Viva promunt, reipsa doctrinam iis limitibus circumscriptam tradunt. Sic v. gr. Sanchez, quem hi omnes allegant, post multa concludit (Dec. lib. 1. cap. 7. n. 26.): *Quare tunc hi famuli censentur et vere sunt lenones, quando pravam heri intentionem iuvantes haec ministeria exhibent, ut communiter evenit; secus, quando bona intentione ac proprii damni notabilis vitandi necessitate coacti.*

Item Bonacina *De Matrim.* q. 4. p. 14. n. 6.: *Idem dicendum est (scil. excusari posse, quando non licet ab huiusmodi... desistere absque gravi damno) de famulo, qui... defert munera vel epistolam, vel internuntium, vel qui scribit litteras, quibus continetur, ut meretrix ad se veniat tali tempore...* Etiam Tamburini (*In Dec.* lib. 5. c. 1. §. 4. n. 19.): *Praeterea subditus non ex sola ratione famulatus, sed metu*

II. Quoad operarios.

252. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *An liceat operariis theatra aedificare, ornare, etc...?*

Resp. 1^o Quoad aedificationem videtur generatim licere, etsi gravis alia ratio desit; **ratio**, quia licitum est Principibus spectacula permittere.

Resp. 2^o Quoad ornamenta et alias actiones ab operariis praestandas pariter licitum videtur, si haec in se honesta sint, quia cooperatio videtur adeo remota, ut non sit peccaminosa.

QUAER. 2^o *An licet operariis aedificare templa haereticorum?*

Resp. 1^o *Neg.* absolute, si hoc postuletur ab haereticis in odium Religionis.

Resp. 2^o *Affirm.*, in alia hypothesi, quando gravis causa urgeat, secluso tamen scandalo et quovis Religionis contemptu (9).

notabilis detrimenti... excusabitur, si referat adulterae... ut tali hora ad domum heri, vel ad conductum locum accedat...; haec enim et similia cum sint aliquanto propinquiora peccato abutentis, indigent causa aliquanto graviore, quam sit ratio famulatus. Laymann quidem l. 2. tr. 3. c. 13. n. 5. ait, *id non videri permittendum*; eo quod huiusmodi famulorum obsequia contineant quandam lenocinii speciem, idque docet contra Navarrum, qui, ut ipse Laymann ait, *eiusmodi etiam famulorum obsequia, si ob iussum, absque pravo affectu fiant, a mortali peccato excusari posse ait.* Verum hi duo auctores optime conciliantur pro diversa hypothesi, quam faciunt, prout vides in ipso textu Sanchez modo citati, quemadmodum et eos conciliat Rodriguez *Sum.* p. 1. c. 205. n. 3.

Item Mazzotta *Tr.* 2. disp. 2. q. 1. c. 3. §. 4. *deferre nuntia vel scripta continentia conditionem loci vel horae inter illa enumerat, ad quae non sufficit ratio famulatus, sed requiritur urgentior causa... quia sunt actiones, quantumvis secundum se indifferentes, at propinquiores peccato alieno.* Fatendum est tamen, ipsum excipere (l. c.) *scripta tur-*

pia atque infra excipere deferre scienter nuntia aut scripta turpia vel illa scribere. Quod idem praestat tum Sanchez (l. c.), *si verba aut signa turpia et amatoria et inhonesta scriptum contineat*, tum Tamburini (l. c.), *si contineant turpia et amatoria vel directa ad peccatum provocantia.* Laymann quoque (l. c.) *disserit de litteris ad turpia concitantibus et de inductione mulieris ad peccatum.*

Distinguunt itaque DD. quandam scripta vel internuntia directam ad turpia et ad peccandum provocationem contineant quando vero secus. Et Croix quidem (l. 2. n. 273.) alteram tantum hypothesim tangit, de litteris nempe aut nuntiis directe tendentibus ad peccatum: item Viva (in prop. 51. Innoc. XI. n. 5.) de litteris provocantibus ad peccatum. Rebellus e contrario tangit alteram tantum, de qua DD. superius, hypothesim (p. 1. l. 2. q. 14. n. 53.). S. Alphonso vero nihil distinguens et ideo tanquam sibi contrarium allegans Rebellum, de qualibet hypothesi pronunciat illud *non licere* et ideo ab auctoribus recessit, quos pro se adducit post Salmaticenses et Vivam.

(9) De hac re Laymann (lib. 2. cap. 13. n. 4.): *Fas est Iudaeorum synagogas,*